



## DE MORBIS CHRONICIS.

1050. Hactenus de morbis principibus acutis internis, & externis: nunc de Chronicis agendum. Illi vero, si in corpore nati, ortum duxerunt vel ex vitiis liquidorum sensim natis, vel ex vitiis relictis a morbis acutis non bene sanatis.

1051. Vitia liquidis sensim nata oriuntur 1. ex ingestis, aere, cibo, potu, condimento, medicamento, veneno, tam alienis, ut nostris humoribus similia non sint, tam validis, ut vi nostrorum viscerum & humorum nostris assimilari non possint. Eaque sunt  $\alpha$ . acor (60. ad 69.).  $\beta$ . austерum, ex acore & terrestri plurimo unitis, ut a fructibus immaturis, vel adstringentibus, succis, vinis, & similibus; quae liquores coagulant, vascula constringunt, hinc obstructiones duras pariunt (31. 36. 40. 50. 51. 113. №. 1. 117.) Sanatur diluentibus, alcalicis fixis, saponaceis alcalicis, diu, prudenter usurpati.  $\gamma$  acre pingue aromaticum, ex cibis, potibus, condimentis, calidis odore, sapore; haec calorem, attritum, laesionem minimorum vasculorum, dolores calidos, attenuationem liquorum, horum putrefactiones, extravasationes, & similia multa producunt:

cm-

curantur aquosis, farinosis, gelatinosis,  
acidis.  $\delta.$  *Pingue iners*, ab nimio usu pin-  
guum ex animalibus terrestribus, pisci-  
bus, vegetabilibus oleosis; hinc obstructio  
(117.), ranciditas biliosa, inflammatio,  
corroso, putrefactio pessima (82. 526.).  
Curatur diluente, saponaceo, acido.  $\varepsilon.$  *sal-*  
*sedo muriatica*, ex sale, salitisve; vascula  
destruit, liquida solvit, acria reddit illa,  
hinc  $\alpha\tau\gamma\phi\lambda\omega$  solutiones valorum, extra-  
vasationes liquorum, non cito putrescen-  
tium, sed maculas producentium. Tollit  
aqua, acidis, lixivio calcis vivae.  $\zeta.$  *al-*  
*cali* (76. ad 91.)  $\eta.$  *glutinosum* (69. ad 76.).  
 $\tau.$  a viribus nostris nimiis in ingesta (50.  
ad 58. 92. ad 106.),  $\beta.$  a spontaneis no-  
strorum humorum vitiosis permutationi-  
bus (58. ad 91.).

1052. Ex morbis acutis male sanatis o-  
riuntur vitia in humoribus quounque cor-  
poris loco:  $\alpha.$  purulenta (158. N°. 5. 6.  
7. 402.), quae producunt multa mala (936.  
N°. 4. 941.): sanantur (942.).  $\beta.$  Ichro-  
rosa (158. N°. 4. 206.), quorum effectus  
rodere, consumere. Sanantur blandis de-  
mulcentibus, inspissantibus:  $\gamma.$  putrefac-  
ta, quae recensita (1051. N°. 1. 1.  $\gamma.$   $\zeta.$   
N°. 3.).

1053. Morbi acuti male sanati in parti-  
bus solidis, compositisve, relinquunt Ab-

R 2

scessus

scessus (387. 402.), Fistulas (413.), Em-pyemata (894.) Scirrhos (392. 484. 485. 486.), Cancros (492. 494.), Caries (526.).

1054. Ex his in morbis (1051. 1052. 1053.) simplicibus, aut omni modo compositis inter se, infiniti sene alii, ut effe-ctus, sequi possunt; adeoque ex eorum dato intellectu hactenus optime perspi-ci, & curari.

1055. Quum vero inde pendeant, ut pa-tebit, omnes Chronicci; horum ergo gene-ralis doctrina, divisioque hinc haurienda.

1056. Unde etiam statim apparet, hos varietate quidem infinitos ratione sympto-matum, tamen ex origine non adeo composita pendere, neque tam varia medica-menta, medendive methodum requirere; tum simul perspicitur diurniratis in ple-risque, incurabilitatis vero in multis, ra-tio; id ipsum pertractando jam patebit.

### P A R A L Y S I S.

1057. Paralysis vocatur musculi laxa im-mobilitas, nullo nixu volunta-tis, vel vitae, superanda; sensus aliquan-do simul absolute perit; aliquando levis cum stupore, sensuque quasi punctorio le-vi, superest.

1058.